



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Richmunde, quae in epiphania Christum vidit in praesepio, patris  
vocem audiens desuper, cap. 7.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

## CAPVT VI.

**A**lteri cuidam sacerdoti supradictæ domus, tunc Priori existenti, Dominus sub alio typo natiuitatis suæ mysterium ostendit. Cùm in quarta dominica Aduentus cantor responsum, Intuemini quantus sit iste, qui ingreditur ad saluandus gentes, inciperet, & pars conuentus ad librum stans inceptum perficeret, in choro Abbatis super formam, cui cantantes in nitebantur, circulum lucidum vidit, & in circulo stellam clarissimam radiantem: & mox intellexit, sicut intelligere debuit, quòd stella eadem designaret Christum; Circulus verò lucidus; orbem terrarum illius aduentu illuminatum. Se stellam esse testatur in Apocalypsi, dicens; Ego sum radix & genus David, stella splendida & matutina. Et in sancto Euangelio se appellat lucem mundi. Hæc de Christi natiuitate dicta tibi sufficiant, sciasque me hanc visionem ab eius ore audiuisse, qui eam videre meruit. Porro quam gloriosa visio cuidam sacerdotum nostrorum in Christi natiuitate de Christo sit ostensa, audies in distinctione sequenti. APOLLONIVS: Precor vt gradatim ascendas, de festiuitate ad festiuitatem, & de infantia ad iuuentutem nostri Saluatoris. CÆSARIVS: Sic faciam, visiones, quas in illis & de illo factas noui, tibi recitando.

*Apo. 22.  
Ioan. 8.*

## CAPVT VII.

**V**irgo quædam circa hoc trienium defuncta est, Richmundis nomine, habitu secularis, sed vita religiosa valde ac spiritualis, ieiunijs & orationibus semper vacabat, mète sæpissime excedens, ita vt cœli secretis interesset, & cœli regem cum cœli ciuibus frequentius videret. In quadam solennitate Epiphaniarum, cùm in monte sanctæ Walburgis interesset matutinis, & Abbatisa inchoasset Responsum duodecimum, scilicet, In columbæ specie, illa vigilas & orans, in excessu facta, Christum infantem, pannis inuolutum, & in præsepio positum, coram se vidit, & circa illum quasi thronum aereum, ad similitudinem tris, eratque ex vtraque parte eius multitudo angelorum,

*Christus in  
fans ap-  
paret.*

G g 3

rum,

*Psal. 44.*  
*1. Pet. 1.*

*Mat. 3.*

rum, manibus extensis eum adorantes, & oculorum suorum acies in illum indeclinabiliter defigentes: nec mirum, ipse est speciosus ille forma præ filiis hominū, in quem, teste Apostolo, angeli concupiscunt prospicere. Cumque ventum fuisset ad locum illum, Paterna vox audita est, non conuentum illa beata, in qua tunc temporis sensus exteriores defecerant, sed Patre audiuit dicentem: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Erat autem Dei filius & hominis tanti decoris, & vox Patris tanti dulcoris, vt exprimere mihi non sufficeret. Requisita etiam a me, quales essent effigies angelorum, respondit: Staturas habent humanas, facies virginibus simillimas, genas ad instar rosarum rubentes, & reliquis membris intectis niue candidiores. Alias etiam adhuc retulit visiones, quas locis competētibz replicabo. De festo verò Purificationis habes in distinctione superiori cap. 20. visionem mirificam virginis de Quidone. APOLLONIVS. Puto huiusmodi reuelationes quandoque ex affectu orationis obtineri. CÆSARIVS: Hoc certissimum est.

## CAPVT VIII.

*Christus  
triennis  
apparet.*

**I**N Francia virgo quædam CHRISTVM in ætate trium annorum, quando iam loqui per naturam poterat, videre desiderans, hoc vt fieret precibus instabat: erat enim tam perfectæ vitæ, vt nō immeritò talia præsumeret, & exaudiri speraret. Die quadam cum dicta missa, ipsa, populo omni egresso, sola in ecclesia moram faceret, & oraret, infantē quasi triennem circa altare deambulantem conspexit, putās a matre illum ibidem neglectum. Erat autem speciosissimus, & tantæ gratiæ vultus eius, vt in illius aspectu delectata ad se vocaret, & manibus demulceret, sic dicens: Dic mihi bone puerule, vbi est mater tuā? Qui dum ei nihil responderet, æstimans illa, vt pōte infantem, eum nondum posse fari, subjunxit: Nosti dicere Pater noster tuum? Ad quod dum non responderet vt prius, adjecit: Dic post me, Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, &c. Et dixit post eam